De extremo Graecorum discrimine,

quomodo in Iliade descriptum sit,

disseruit

Dr. Christianus Hoerner.

Erlangae, sumptibus A. Deicherti.

MDCCCLXXV.

De extremo Graecorum discrimine,

quomodo in Iliade descriptum sit,

disseruit

Dr. Christianus Hoerner.

Erlangae, sumptibus A. Deicherti.

MDCCCLXXV.

Erlangae: Typis A. Jungii et filii.

Nisi admirabilis illa Homericorum carminum suavitas lectorum animos quasi incantationibus quibusdam captos teneret, non tam facile delitescerent, quae accuratius considerata et pugnare inter se et multo minus apte quam quis iure postulet composita esse apparere necesse est.

Godofr. Hermannus (op. V, p. 63).

Iliadis carmina qui accuratius diligentiusque percensuerit, hoc mox habebit cognitum non posse in iis, qualia nunc legantur, acquiesci et inesse permulta, quae offensionem moveant gravissimam, adduceturque, ut errare eos iudicet, qui Iliadem defendant corpus esse per omnes partes ratione ac consilio temperatum, cuiusque bene omnia se habeant. Haec, cum a multis concedantur et contendantur, probata tamen de cunctis Iliadis partibus et satis iam demonstrata non sunt. Namque aut singula tantum carmina eaque priora potissimum sunt hunc in modum illustrata, ut a Koechlio, Kammerio, Benickenio, aut parum diligenter et accurate universa, ut a Lachmannio, Koechlio, Bergkio. Ego quoque particulam tantum sum exploraturus, sed quam maxima potero diligentia atque eam, quae et totum aliquid per se ipsa efficiat et membrum Iliadis sit prorsus necessarium nec iam ante aliis pertractata. Est autem hoc caput Iliadis illud, in quo agitur de extremo Achivorum discrimine, quomodo et adacti eo et ibi sint versati. In quo quidem spero me probaturum occurrere tam multa, quae vel maxime offendant, ut acquiesci in iis, sicuti nunc legantur, prorsus nequeat.

Sed non satis erit haec vitia demonstravisse, verum etiam opus erit statuere, si quae ex illa quaestione effici videantur ad veram et huius capitis et aliorum Iliadis carminum naturam et condicionem diiudicandam. Haec pars

disputationis, ut est minime omittenda, ita difficultates praebet gravissimas. De hac quaestione altera statuerunt quaedam soli, ut mihi quidem innotuit, Lachmannius et Koechlius. Sed illi, universam Iliadem postquam percensuerunt, universae quoque rationem et condicionem respicientes in nova carmina disiecta membra Homeri studebant componere: ego satis habebo, quae hoc, quod dixi, capite diligentius examinato pro certo statui posse videantur, proposuisse.

I.

Juppiter somno Graecis secundo, exitioso Troianis experrectus Junonem in Olympum remiserat, Neptunum quamvis invitum per Irim ex pugna removerat. Jacet in planitie ad Xanthum fluvium saxo ab Aiace coniecto vulneratus atque imbecillis Hector, Troes a Graecis per campum fugantur. Jam Juppiter priorem dimicationis statum videtur esse restituturus et quidem opera Apollinis. Graeci rursus ad naves repelluntur, de quibus pugna redintegratur.

Mittit igitur Juppiter Apollinem, qui et Achivos aegide O, 220—235.
contra eos concussa fuget et Hectorem procuret concitetque, donec ad naves usque et Hellespontum Graeci fuga pervenirent. Tum ipsum se perpensurum, quomodo res possint inverti.

Opponuntur igitur, quae ipse Juppiter sit facturus (234) iis, quae Apollini mandat exsequenda (229 ff.). Et haec ipsa sunt duo. Achivorum fugam efficiat aegidis auxilio, per se ipse sine ullius rei auxilio Hectorem tueatur. Sed sane satis mire aegidi suae deus opponitur; et priore parte aegide potius fieri fuga dicitur, posteriore per Hectorem ab Apolline confirmatum.

Quae de Neptuno dicta sunt, eorum ratio ac color cum antecedentibus optime congruunt. Graviter de ira sua Juppiter facit mentionem (223, cfr. 72. 122. 137. 155. 198. 210), et quanta futura fuerit dimicatio, nisi iussui suo frater obtemperasset (224, cf. 164. 179). Item deos memorat in Tartarum missos, de quibus saepius supra erat dictum, cf. Ξ 274. Sed cum haec de Neptuno minus videantur opus fuisse tam accurate repeti, desiderantur ea, quae ad Hectoris condicionem miseram pertineant. Nam etiamsi Juppiter ipse, ut ex sequentibus licet intellegi, eum erat restituturus, tamen magis ex re videtur fuisse, si Apollinem huius rei certiorem fecis-

set et aut ipsum se dixisset Hectorem refecturum aut filio mandasset reficiendum.

Haec in universum eiusmodi sunt, ut iterum Graecos ad naves repulsum iri cognosci possit. Sed versu 233 nihil indicatur iam ante huc usque eos reiectos esse. Nihil item additur de Graecorum ad naves extrema necessitate, de igne navibus iniciendo, statim transitur ad Graecos discrimine liberandos.

236—262. Accipitris celeritate devolat Apollo in planitiem ad Hectorem, cui Jovis vi ac voluntate iam redit animus: anhelitus sudorque decrescunt, sedet et recognoscit sodales. Tamen animo est adhuc infirmo nec prorsus refectus. Apollini caussam imbecillitatis quaerenti (nihil enim ab Jove compererat!) ab Aiace respondet saxo esse percussum. Apollo animo eius confirmato in fugam se daturum Graecos promittit, hortatur, curribus equisque, quos in duodecimo libro dictum erat post fossam esse relictos, ut iam petat naves, ipsum iis viam muniturum.

Hector, qui modo dicebatur aegre animum recipere et etiamtum esse infirmus, paullo post prorsus refectus in pugnam redit. Neque indicatur, quomodo aut quando sit restitutus. Ab Jove enim imminuitur imbecillitas (242), non tollitur. Apollo vero verba facit ita (254), tamquam animus eius pavore, non corpus sit infirmitate affectum. Quare non corporis ei sanitatem reddit 262, sed inflat animos. Est igitur discrepantia quaedam eorum, quae antecedunt versum 253 et sequuntur. Illic enim torpore affectus Hector debet intellegi, nec quomodo restitutus sit clare proponitur, hic animi indigens ac fiduciae. Illa rerum inserviunt conexui et male postea videntur inserta, ut perpetuitas quaedam expositionis efficeretur. Sic comparatio quoque illa, qua cum accipitre Apollo confertur 237, magnam habet cum Iridis (170) et Junonis (80) comparationibus similitudinem. Contra posteriores versus ea, quae proxime antecedunt, non respiciunt. In his equi nobis occurrunt currusque contra naves agendi, quorum in Jovis oratione nulla mentio facta erat.

263—280. Hector, postquam ab Apolline incitatus est, ex eius iussu summa alacritate equites Troianos dicitur impulisse. Graeci autem, cum eum pugnam vidissent renovantem, a per-

sequendis hostibus abstinent atque in magnum terrorem incidunt.

Fingamus ex imbecillitate Hectora restitutum: statim multae et graves offensae nobis occurrent. Primum enim a fluvio, ubi exanimis iacuerat, eum ad suos revertisse non memoratur, sed statim dicitur equites incitasse. Troianos igitur cogitandum sit fuga iam usque eo pervenisse, ut statim in eorum turba versaretur. Deinde comparatio illa, quae inde a versu 263 legitur, non bene repetita esse videatur e *Z* 506 ff. Illic quidem Paridis condicioni et naturae optime omnia respondent. Ut enim equus, ubi ad plena praesepia pabuli cupidinem explevit, campi fluviique desiderio correptus auctis viribus rumpit vincula et pernix superbusque devolat in planitiem, ita Paris, postquam per otium suaviter sibi fecit, suborta subito pristina virtute summa alacritate ad pugnam revertitur. Contra Hector, donec aberat a pugna, non bene sibi fecerat, sed animus reliquerat gravi vulnere afflictum, nec suis viribus infirmitatem illam quasi ruperat, sed convaluerat vi divina. Neque infra (279) Graeci dicuntur eam ob causam timore correpti, quod contra eorum exspectationem refectus in proelium rediisset. Quare statuendum est, his quoque in versibus Hectora non ex imbecillitate restitutum intellegendum esse.

Sed quaeritur, num Hectorem cogitandum sit, ut ab Apolline iussus erat, in curru ipsum cum equitibus impetum facere. Nulla equitum postea (307 ff.) fit mentio, immo grandibus passibus Hector ipse hostes aggreditur pedibusque irrumpunt Troes universi. Item versu 279, ubi invadere virorum aciem traditur, de equis curruque nihil est dictum. Nec potest hic versus ita explicari, ut suorum acies Hectora obeuntem intellegamus, cf. 676 *Αἴας νηῶν ἴκρι' ἐπῴχετο.* Nam et comparatione ipsa significatur occurrisse eum adversariis (*ἐφάνη εἰς ὁδὸν* 276); nec sola eius adhortatione suorum tantopere Graeci essent territati, et vocabulum *ἀνδρῶν* non bene de equitibus esset positum. Pedibus igitur Hectora cogitandum est pugnam renovasse. Quare versum 270 ab hoc rerum conexu iudico alienum et postea inditum, ut perpetuitas aliqua expositionis efficeretur. Hoc sublato versu sustulerimus eam quoque offensam, quod vocem *οἱ*

sequentis versus, quae Graecos spectat, primo obtutu nemo non refert ad ἱππῆας, quorum ante mentio facta erat. Sublato illo comparatio quoque antecedens satis bene se habet, quamquam iuvenilis illa equi exsultatio, quae vocabulis **κυδιόων, κροαίνων**, ἀγλαΐηφι etc. indicatur, Paridis magis quam Hectoris naturae respondet. Tum enim Hector auctis viribus, summo studio pugnandi captus, redintegrasse proelium, hostes invasisse dicitur, ut magno terrore Graeci afficerentur. Contra, cur sola adhortatio equitum tam amplo simili illustretur et cur in ea virtutis atque ardoris Hectoris tam accurata fiat mentio, nemo videt. Sin vero sola Hectoris in cohortandis equitibus alacritas hac imagine vult demonstrari, ea certe non tanti momenti est, quae tam splendide et copiose illustretur, nec sola illa alacritas hac similitudine indicatur, sed magis etiam (cf. *Z* 511) animi elatio, cupiditas pugnandi, splendor armorum.

Denique his in versibus, excepto scilicet 270, nec e corporis imbecillitate restitutus Hector in pugnam redit nec equites aut incitat aut contra Graecos adducit, sed pedibus animo ab Apolline confirmato hostes invadit.

281—305. Haec particula nec cum iis, quae proxime antecedunt, nec cum sequentibus congruit. Hic enim Hector dicitur e gravi vulnere divinitus refectus in proelium redire, cum ante animo tantum ab Apolline confirmatus sit. In sequentibus vero consilii Thoantis nullam rationem haberi post accuratius videbimus. Sed priusquam quo haec pertineant inquiramus, consilium ipsum quid sibi velit exponamus.

Thoas igitur, cum Hectorem praeter opinionem ex imbecillitate reducem animadvertat, quo facilius Graeci eius impetum sustinere possint, suadet, ut reliqua multitudo ad naves se recipiat, ipsi, viri scilicet fortissimi, acie conferta instructi sublatis hastis una ingruenti Hectori obsistant. Cuius auctoritatem secuti principes Graecorum in aciem consistunt, reliqui ad naves abeunt. Sed quid hoc in tempore hoc consilium Graecis potuerit prodesse, non intellegitur. Graeci enim etiamtum in planitie sunt; quî autem possunt principes pauci, quamvis fortes, Troum multitudinem in libero campi spatio undique circumfusam sustinere? Loci igitur natura, si bene Thoantem volumus suasisse, cogitanda

est ea, quae sublevet paucorum et fortissimorum contra plures propugnationem, angustiae scilicet viarum et muri fossaeque vel navium summa propinquitas, ita, ut multitudo dici possit non per munitiones, sed protinus ad naves se recepisse (295. 305). Apparet igitur huc esse hanc particulam prorsus inepte insertam.

Referenda autem in universum videtur ad ea, quibus perpetuitas aliqua cum antecedentibus libris vult effici, qualia habuimus in versibus 236—252. Nam bene cum his congruit, quod Aiax dicitur afflixisse Hectorem et Juppiter restituisse (289. 293). Ac simile Thoantis consilium Neptunus (*Ξ* 371) Graecis proposuerat, ut optima fortissimi viri arma caperent atque ita, instructa scilicet acie, hostibus obviam irent. Habemus igitur utrobique paucorum et fortissimorum aciem confertam. Nec dubium videtur, quin hic locus ad illius exemplum sit conformatus, ut, quod secundis rebus Graecis emolumento fuisset, idem videretur fuisse adversis. Ceterum necessitudinem quandam intercedere inter Neptunum et Thoantem, apparet ex *N* 215 ff., ubi huius speciem deus induit. Ab eodem putandum est Thoanti hoc consilium ac genus pugnandi esse traditum.

Illustrissimi hic Graecorum propugnatores sunt Thoas, Aiax et Teucer, Idomeneus et Meriones, Meges. Maximis laudibus effertur Thoas Aetolus: excellit utroque genere et eminus et cominus pugnandi, excellit vero, id quod prorsus novum in Iliade est, consilio ac facundia adeo, ut iuniorum quidem pauci eo sint superiores. Idem in summo rerum discrimine tamquam contionabundus a poeta inducitur. Horum virorum exspectatur ut facinora quaedam post exponantur, sed nil minus: immo totius huius consilii Thoantis nullam omnino in sequentibus rationem fieri videbimus.

Jam concurrunt exercitus Troianis irrumpentibus, re- 306—327.
sistentibus Achivis. Aequo aliquamdiu Marte dimicatur, donec aegide concussa et clamore sublato in fugam Apollo Graecos effusam dat. Peregit igitur, quod iussus erat ab Jove (230): confirmato Hectore propulit hostes, — praeterquam quod nondum audivimus ad naves usque et Hellespontum fuga eos pervenisse.

Quae vero Apollo ipse Hectori dixerat de equitibus ad-

ducendis viaque munienda (258), horum hic mentio fit nulla. Neque enim Hector aut equos currusque contra hostes ducit, sed Troianorum, scilicet pedestrium, aciem confertam, aut curru ipse, sed grandibus passibus ingruit 307. Nam si equitum hunc impetum poeta voluerit intellegi, clarius profecto significarit. Nec magis in iis, quae de Thoante dicta sunt, curribus vel Hector vel Troiani invadunt.

Sed iam non pauci Graecorum et fortissimi hostium incursum sustinent, sed universi utrimque exercitus iusta pugna concurrunt. Nam idem vocabulum *ἀολλέες* de Graecis et Troianis usurpatur (306. 312), quod fieri non posset, si multitudine Graecorum ad naves remissa ad paucos et fortissimos res venisset: densa utrimque acie instructi manus conserunt. Clamorem tollunt, hastae volant et sagittae (313): quamquam principes quidem Achivorum solis hastis, non arcu sagittisque rem solent gerere. Cadit utrimque aliquamdiu multitudo (319), quae eadem intellegenda est in versu 315 (*ἀρηιθόων αἰζηῶν*); comparantur Graeci boum vel ovium gregi magno (323), huius instar dantur in fugam (326). Denique ad universos omnia Graecos hac in particula spectant. Quare coniungenda videtur esse cum iis, quae ante versum 281 habuimus, excepto v. 270. Sed cum tot partes inter se diversae hic sint contaminatae, non potest offendere, quod versus 280 et 306 non satis bene se excipiunt. Illic enim pavore Graeci Hectore prorumpente erant correpti; hic confirmati rursus sustinere pugnam animo parati sunt. Desideratur igitur expositio, quonam modo adaucti Graecorum animi sint. Quae tamen excidisse videtur propterea, quod, quamvis inepte, Thoantis consilium erat insertum. Est autem adhortatio fortasse Graecorum supplenda, qualem habemus in versibus 560 ff. — Ad versum 321 hoc velim adnotatum, quod non saepius Apollo, ut ait Lachmannius (Betrachtungen zu H. Ilias p. 43), sed semel aegidem concussit.

328—366. Ut, cum Graeci Neptuno adiuvante Troianorum aciem inclinassent (Ξ 511), singuli Graecorum principes erant commemorati, qui ex hostibus vel unum vel duos interficerent, ita hic, postquam Graeci rursus Apollinis auxilio sunt in fugam dati, e Troianis Hector traditur et Aeneas binos, sin-

gulos Pulydamas Polites Agenor Paris interemisse. Apparet illum in hoc componendo loco esse respectum.

Artissime haec, quae de interfectis Graecis dicta sunt, cum sequentibus videntur cohaerere. Interfectos enim spectat versus 343 (*ὄφρ' οἳ τοὺς ἐνάριζον ἀπ' ἔντεα*) et hunc versum ipsum Hectoris cum equitibus ingruentis verba: *ἐᾶν δ' ἔναρα βροτόεντα* (347). Sed hanc ipsam ob caussam universa haec particula, quam inde a versu 328 usque ad 366 habemus, non videtur cum antecedentibus posse coniungi. Illic enim pedibus Hector proeliatur, hic curru ipse et cum equitibus in Graecos irruit (352 ff.). Nec magis cum iis haec congruunt, quae de Thoantis erant consilio dicta. Nam vocabulum *Ἀχαιοὶ* (343) nec de multitudine intellegi potest ab illo ad naves remissa propterea, quod non lubenter Graeci placideque, sed coacti et fuga effusa post murum se recipiunt (cf. *ἐνιπλήξαντες* 344, *φέβοντο* 345, *ἀνάγκῃ* 345), nec de paucis illis et fortissimis, quod hi clarius accuratiusque erant significandi.

Pertinent igitur ad eam huius libri partem, qua de curribus equisque impetu faciendo mentio erat facta (258—61. 270). Jam enim peraguntur, quae Apollo Hectori et mandaverat et promiserat. Neque enim Hector suos sinit interfectis Graecis arma exuere, sed protinus iubet naves ipsas petere (347, cf. 259), et Apollo fossae parte quadam completa deiectoque muro viam invehentibus aperit.

Quod autem murum deturbasse dicitur (361), hoc non de universo muro puto esse intellegendum, sed de ea tantum muri parte, quae fossam decussam contingebat. Neque enim aut claris verbis universum proturbatum murum esse indicatur aut cur hoc opus fuerit intellegitur.

Bis igitur Apollo aegide fertur Graecis fugam movisse, et cum pedester Hector pedestribus cum Troianis impetum fecisset (326), et cum curru vehens cum equitibns ingruisset (366): apparet, duplicem nos eiusdem fere rei expositionem habere.

Sed peractis, quae Juppiter voluerat, nulla iam mentio fit Apollinis.

Male haec cum antecedentibus cohaerent. Legimus enim 367—380.
(367): Sic igitur Graeci ad naves se continebant, scilicet

hostibus restituri. Sed ante, ad naves Graecos fuga pervenisse, nondum erat dictum, sed in fugam esse ab Apolline coniectos. Deinde in iis, quae antecedunt, non tam de Graecis sermo erat, ut respicere ad eos his verbis: *ὣς οἳ μὲν* oratio posset, quam de Troianis atque Apolline. Nec bene parvo se intervallo excipiunt vocabula *ὣς* 365 et 367.

In hoc igitur discrimine cum alii Graeci dicuntur deos implorasse tum Nestor Jovem, ne omnes Achivos leto daret veniaeque, quam quondam in Graecia petentibus dedisset, reminisceretur. In sequentibus, etsi ferendum sit Jovem hoc in tempore secundum Achivis portentum mittere, hoc certe satis mire videtur adiungi, Troianos ex eo novos animos sumsisse.

Similes huic locos habemus 659 et *Θ* 345. Hunc quidem nostrum nemo dixerit bene esse insertum.

381—389. Jam Troes murum transcendunt, uti maris undae parietibus naviculi superinfunduntur. Lachmannius quidem (Betrachtungen p. 63) Troes putat per murum divinitus deturbatum irrupisse; sed ita verba *κατὰ τεῖχος ἔβαινον* non posse intellegi similitudine ipsa ex undis navem superinfundentibus repetita declaratur. Sed cur non aditu ab Apolline patefacto ingruunt? Existimandum est Troes, qua quisque pugnaret, ea properasse irrumpere, ut longe plurimi, praesertim cum vacuae defensoribus munitiones essent, has ipsas transgrederentur nec commodiore illa quidem, sed longiore via per Apollinem munita uterentur.

Tum circa naves ipsas e curribus a Troianis hastis, contis navalibus a Graecis e puppibus dimicatur. Pertinet igitur haec particula universa ad illa, in quibus de curribus Troianorum agebatur. Adiecta autem est, ut ad navium usque propugnationem res perducerentur. Cuius tamen propugnationis ratio sane mira est et quae ab iis, quae paullo infra leguntur, prorsus abhorreat.

390—405. Hic legitur aliquamdiu circa murum esse pugnatum (390. 391), post vero eum per vim expugnatum esse (395). De illo quidem nihil hoc in libro habemus, hoc haud scio an indicatum sit versibus 381—84, ubi Troiani magno cum clamore murum superasse dicuntur.

405—413. Jam non de curribus Troianorum sermo est, sed pedi-

bus Graecos invadunt (ἐπερχομένους 406). Ratio autem huius dimicationis est fere haec. Graeci acie ante naves sunt instructi (408), quam aggrediuntur Troiani nec possunt perrumpere. Nondum igitur hostes ad naves usque ipsas penetrarunt (409), sed Graeci eas acie tegunt obseptas. Non de navibus ipsis iam res agitur, sed ante eas iusta pugna aequo Marte dimicatur.

Sed hic multum habet offensionis comparatio ea, quam inde a versu 410 legimus: stabat aequo Marte pugna, sicuti trabem navalem faber lignarius ad perpendiculum format. Nam pugnae aequalitas de duabus partibus intellegenda est, quarum neutra neutram vi exsuperet et altera alteri par sit. Trabis autem aequalitas est ea, quae lineâ efficiatur directâ ac nullam habeat curvaturam. Melius igitur in libri XII versu 436 librae adhibetur similitudo. Accedit, ut in his versibus posterioris aetatis vocabula, quam cuius maxima pars Iliadis est, inveniantur. Sic δαήμων (411), nisi in Odysseae (ϑ 160. 263) parte maxime recenti et in Iliadis libro XXIII (671), nusquam nobis occurrit; ὑποϑημοσύνη vero et σοφίη nomina abstracta sunt, quae constat inferiorum magis temporum esse. Et ὑποϑημοσύνη sola in Odyssea semel (π 233) invenitur, σοφίη autem in omnibus Homeri carminibus prorsus inusitatum est. Quare hos versus (410—413) aliquanto post ceteros factos et insertos esse putaverim.

Hinc aliter rursus res se habent. Decertatur de navi- 414—441.
bus ipsis (414. 416); in navibus cum ceteri Graeci tum Aiax est cogitandus (417. 435); iam in eo est, ut ignis iis admoveatur (417. 420).

Universae huius dimicationis adumbrata ratione (414) ad singulare illud quod inter Aiacem et Hectorem fuerit certamen describendum poeta transit (415—514). Ac primum quidem, ut saepissime fit per totam Iliadem, huius quoque certaminis generatim rationem proponit (415—418): aequa inter utrumque stat pugna, Aiax ex navi, quae cuius fuerit non audimus, hasta Hectorem eiusque socios arcet ita, ut nec ipse propellere illum possit nec ille ipsum depellere ac navem succendere.

Jam certamen eorum accuratiore rerum enarratione

illustratur (419—514). Aiax Caletorem ignes adferentem, Hectoris consobrinum, telo percussit, quod hic ubi animadvertit, monet suos, ne pedes ideo referant et corpus mortui tutentur. Tum Hector Aiacis famulum, Lycophronem, quem summa ille pietate colebat, hasta coniecta navi deicit, quo viso Aiax magno captus dolore Teucrum fratrem, ut sagittis suis virum carissimum ulciscatur, monet. — Respondent igitur inter se particulae duae, quarum utraque et enarrationem habet et allocutionem. Et Hectori et Aiaci interficitur vir cum fortissimus tum dilectissimus, uterque vero dolore non ad ignaviam, sed ad maiorem strenuitatem adducitur. Bene demonstrantur utrorumque et graves iacturae et fortitudo invicta.

442—483. Teucer fratris iussui obsecutus arcu sagittisque Troes invadit. Interficit Clitum, Pulydamantis socium, dum huius equos currumque procurat. Cum vero ipsum petit Hectorem, intercedit Juppiter, frangit nervum illo ipso die obductum, deturbat manibus arcum. Quod ille horrore captus cum fratri quereretur, hic numen divinum veritus seponere arcum Teucrum iubet, neve tamen pugnam prorsus omittat, sed hasta clipeoque ornatus et ipse pergat proeliari et socios instiget. Et statim armis commutatis naves defensurus ad fratrem redit. His versibus luculenter demonstratur Jovem ex sua voluntate pugnam gubernare conatusque omnes, quibus amovere extremam calamitatem Achivi nitantur, ad irritum redigere. Nilominus stat Aiaci Graecisque consilium sustinendi et obdurandi.

Teucer et cum fratri succurrit (442) et cum abit in tentorium (478) et cum ad fratrem revertitur (483), id quod sane mirum est, navis aut relictae aut repetitae mentio fit nulla, quamquam in navi uterque est cogitandus. — Versu 370 (*πρώιον*) respicitur libri VIII versus 328. Ut illic (*Θ* 308 ff.), ita hic ad arcum sagittasque Teucer descendisse dicitur, cum in XIII et XIV libro hasta esset proeliatus, nec vero multum profecisse, ut statim ad priorem rationem pugnandi redire cogeretur.

484—514. Hector, ubi Teucri arcum afflictum animadvertit ac deturbatum, magna voce per totam aciem (488) Jovis haud dubie numine hoc factum clamat, qui luculenter Graecis ad-

versetur, faveat Troianis. Proinde bono animo naves aggrediantur neve vel mortem oppetere dubitent, quoniam et ipsis gloriosum sit pro patria mori et salutare suis. Contra Aiax, quam summo in discrimine res sit, bene habet perspectum: clamat nihil iam restare nisi aut vincere aut mori. Neque enim ad ludibrium Hectorem incendia minitantem suos adducere aut navibus combustis pedibus ipsos posse in patriam reverti. Quare pudorem atque honorem ante oculos sibi ponant ita animis parati, ut nolint longum per tempus trahere dimicationem, sed uno temporis momento aut mortem oppetere aut consequi salutem. — Habemus in hac quoque parte duarum et Hectoris et Aiacis orationum concinnitatem. Aiax in omnium rerum desperatione summam animi constantiam retinet et aequitatem, hanc quidem ita, ut lepore quodam et festivitate oratio eius videatur condita (505. 508), quae viros magnanimos ne in summo quidem discrimine solet deficere, cuius rei in nostris quoque carminibus epicis magna sunt documenta.

Sed sunt quaedam in Hectoris exhortatione, quae suspicionem moveant. Nam, quod in versu 494 monetur, post ea, quae supra habuimus (487), videtur superfluum. Item mirum est, quod Hector, postquam de Troianorum rebus divinitus evidenter auctis verba fecit, de damnis suos commonefacit ac consolatur, tamquam non Graecis, sed ipsis extrema sors sit defendenda. Nec minus offenditur, quod Achivos dicit navibus in patriam avecturos, quibus incendia atque interitum ipse paret (420. 502. 504. 507). Quare hos versus, quamvis praeclari per se ipsi videantur, huc pertinere ego negaverim. Eodem modo, si ex Aiacis cohortatione versus ultimos (511—513) deleverimus, nihil profecto desideremus. Neque enim res aut novae aut clare et luculenter proponuntur.

Post Aiacis orationem exspectamus, ut gravior etiam 515—591.
et atrocior pugna exardescat, quae cum aliorum virorum factis tum Hectoris et Aiacis ingentibus laboribus illustretur, donec flammâ navis corripiatur, exspectamus item elocutionis genus talibus rebus fore dignum, aeque gravem, aeque proprium, denique aeque poeticum atque ante habuimus. At nunc res non maiores, sed aliquanto leviores proferuntur

et quae animum lectoris gravius movere non possint. Non Aiacis et Hectoris ingentes nisus, sed facta quaedam narrantur Menelai, Megetis, Antilochi, quos maiore studio poeta amplectitur, quam huic statui rerum videtur esse consentaneum: sic copiose lorica Megetis describitur, Antilochi laudes maxime efferuntur (529 ff. 568 ff.), Aiacis autem et Hectoris brevis fit mentio nec maiora facinora traduntur. Rebus respondet elocutio, quae aliquanto est ieiunior ac deterior.

Sed in universum haec, de quâ nunc agitur, particula cum ea, quae proxime antecedit (414—514), non est coniungenda. Hic enim non ad naves ipsas et de iis dimicatur, navium iam nulla omnino mentio fit nisi versu 566, ubi obseptae esse dicuntur armatorum acie conferta. Abesse igitur cogitandum est aliquantum spatii a navibus et Graecos et Troianos, quorum illi incursus bono eventu aliquamdiu arceant. Referenda igitur haec potius videntur ad ea, quae 405—413 habuimus. Postea vero contigisse Hectori inveniemus, ut perrumperet fugaretque aciem (637) et ad naves ipsas perveniret.

Sed potest contra haec dici, Graecos, postquam ad naves aliquamdiu pugnassent, bene rebus gestis (515 ff.) processisse rursus usque eo, ut pro navibus aciem haberent instructam, quam tamen postea esse disiectam. Sed nihil legimus aut progressos Graecos esse aut iterum ad naves repulsos, quae certe opus erat clare significari. Habemus igitur hanc particulam ab antecedente prorsus diversam.

515—543. Hector ferit Schedium Phocensem, Aiax Laodamanta, Antenoris famulum; Pulydamas Otum Epeum, socium Megetis, Meges Croismum. Jam Dolops, Hectoris consobrinus, dum cum Megete incerto eventu proeliatur — percusserat ille quidem Megetis clipeum neque perfoderat loricam, hic vero cristam galeae ei deturbarat —, a Menelao ex obliquo hasta transfigitur.

Ex eo ipso, quod non Aiacis et Hectoris potissimum, sed inferiorum virorum facta enarrantur, intellegitur, iam non de summis rebus agi et de extrema necessitate, sed minus grave et magnum hoc certamen esse.

543—567. Dolops dum a Megete et Menelao armis privatur, Hector Melanippum, et ipsum consobrinum, cohortatur, ut

consobrini sui necem secum ulciscatur. Una illi hostibus obviam eunt Aiace Graecos ad virtutem instigante, qui densa acie naves obsaepiunt.

In quibus plura sunt, quae repugnent iis, quae superiore in parte legimus. Segnitiam pugnandi Hector suis obicit (553. 556), cum supra ad acerrimum impetum suos adduxerit (485 ff.); facit verba (557), tanquam Troianorum res in summo discrimine sint, non Achivorum. Contra Aiax cohortatur suos, quamquam iam paullo antea Hectore ingruente eorum animos confirmarat (501 ff.), et Achivi, quas aegre supra naves defendebant, hic obtegunt acie.

In Hectoris obiurgatione Melanippi duo versus ultimi (557. 558) hanc praebent offensionem, quod in utroque membro disiunctionis subiectum est diversum supplendum: ad *κατακτάμεν ἡμᾶς*, ad *ἑλέειν αὐτοὺς* sc. *Ἀργείους*, et quod in hoc ipso membro immutatur constructio in passivum ita, ut novum rursus subiectum exsistat *πολίτας*. Sic enuntiatio universa obscuri aliquid ac difficilis habet. Item in versibus 539, 540 non statim apparet, quo referenda pronomina *ὃ*, *τῷ*, *οἱ* sint. Hic quoque variant subiecta. Nam *ὃ* et *ἔλπετο* de Dolope est intellegendum, *τῷ* et *οἱ* de Megete. In Aiacis autem cohortatione Achivorum nihil novi, nihil proprii est: omnia vaga et trita; excipiunt inter se (561 ff.) *αἰδῶ, αἰδεῖσθε, αἰδομένων*; accedit, quod haec omnia in aliis libris leguntur (*E* 529—532. *N* 121. *Π* 562).

Antilochus a Menelao incitatus ex suorum turba proruit interficitque Melanippum, Hectoris consobrinum. Quem armis exuere conanti obsistit Hector, et Antilochus territus in Graecorum multitudinem recedit. 568—591.

Menelaus, qui modo cum Megete in exuendo Dolope occupatus esse dicebatur (544), relicto hoc negotio ad Antilochum contendit eumque, ut Troum aliquem feriat, hortatur. Sane mirum est, quod hanc ob caussam, Hectore et Melanippo contra advenientibus (559), corpus Dolopis ac socium deserit. Praeterea rerum statui magis respondere videtur, Megeti Menelaoque si Melanippus diceretur propior esse quam Antilocho, propterea quod is cum Hectore contra illos profectus erat (559); at hic Antilocho dicitur fuisse propior. Interemit Antilochus Melanippum, sed huius ita fit

mentio, ut solum eum existimare debeamus in pugnam revertisse (577), non cum Hectore, neque aut Hectoris auctoritate aut consobrini corpus ut hostibus eriperet. Solum Melanippum in proelium rediisse apparet etiam ex eo, quod Antilochus ausus est contra eum prorumpere et quod Hectore post adveniente (585 ff.) territus ad suos se recipit. Seiunctos igitur hic habemus Hectora et Melanippum, quos ante dictum erat (559) una ad Dolopem iisse. Etenim Hectori, ut ad Melanippum perveniat, per turbam pugnantium est eundum (584). Magna igitur huius particulae cum antecedente discrepantia est notanda. Praeterea per se ipsa habet plura, quibus offendamur. Permulti enim versus ex aliis Iliadis libris sunt repetiti. 573—575 inde a **καὶ ἀκόντισε** legimus item *Δ* 496—498 de Ulixe, 577 in libro octavo (313), 578 in quarto (504. 461), 584 in septimo decimo (257), 585 in quinto (571), 589—90 inde a **ἐπὶ δὲ Τρῶες** in octavo (158. 159), 591 in undecimo (595). Nihil audimus, qualem ille, qui contra Megetem fiebat, impetus habuerit exitum. Propter haec omnia hanc particulam universam deleverim atque aliquanto post male compositam et huc insertam esse dixerim. Nec sane magno est poetae tribuenda, quippe qui tam copiose ex aliis carminibus hauserit ac nisi comparationibus (579 ff., 586 ff.) et anastropha (582) ornare et illustrare poema non potuerit, qui externus magis splendor et apparatus, quam verum decus hic est dicendum. Caussa vero, cur haec adiuncta particula sit, posita mihi videtur in eo, quod, quoniam duo Hectoris consobrini a Graecis erant occisi (422. 543) Caletor et Dolops, tertium quoque Melanippum quis voluit interfici. Sed hoc ipsum, quod tres deinceps Hectoris consobrini dicuntur cecidisse, magno mihi est documento, non unum haec omnia poetam finxisse, sed alii unamquamque partem poetae esse adiudicandam.

592—652. Jam, Troiani quomodo disiecta Graecorum acie (566) ad naves usque ipsas penetraverint, demonstratur. Novi hinc aliquid ac magni incipere intellegitur ex eo ipso, quod tanta gravitate et sollemnitate consilium Jovis poeta proponit, 593—604. Solus hanc pugnam Juppiter gubernat, non alîus dei usus opera; quae ipse vult fieri, ab Hectore peraguntur (cf. 637.

719. 725). Hectora Troesque incitat et adiuvat, Graecorum animos imminuit. Vult autem res usque eo perduci, ut ignis ab Hectore navibus iniciatur (597) et ipse incendii conspiciat flammas (600); hucusque igitur exspectamus ut carmen deducatur. Cetera, quae de repellendis rursus Troianis (601. 602) adiuncta sunt, utrum idem hic poeta persequi voluerit an minus bene postea inserta sint, in medio relinquamus. Quae vero paullo infra (610—614) de Hectore dicuntur, aliena ab hac particula sunt. Primo enim versu nil adfertur novi, post (611) non de Hectore honorando, sed de Achillis dignitate restituenda dicendum erat; necis autem Hectoris mentio (612) prorsus est inepta, quod haec pars tota debebat de successu eius et gloria esse.

Sed quaeritur, qua hic condicione et Troes et Graeci sint cogitandi. Troes non iam ad ipsas erant naves, sed excitantur contra eas (603) et acri petunt impetu (593); paullo vero infra ad ipsas illas pervenisse videbimus. Graeci autem acie confertissima sunt instructi (615—618) et quidem aliquanto ante naves, ut hanc viribus unitis tegant ac quodammodo obsaepiant. Postea terga dant (637) ac fuga effusa ad naves se recipiunt (653). In universum igitur haec particula cum ea, quae proxime antecedit (515—567), bene congruit ac sublatis versibus, qui 567—591 leguntur, satis recte omnia se habere iudicaverim.

Quae autem hac, de qua agimus, particula enarrantur, sunt fere haec. Troiani rapidorum leonum instar adversum naves proruunt, in his spumante ore, oculis fulgentibus, torvo supercilio, crista galeae horribiliter micante saevit Hector, Marti ingruenti vel igni exitioso comparandus (592—614). Is Graecorum aciem, ubi videbatur esse firmissima, summa vi invadit, sed nequit perrumpere immotâ constantiâ saxorum ritu Graecis impetum sustinentibus (—622). Post autem igneis fulgens armis, sicut unda immanis, denuo irrumpit in hostes et timore capiuntur animi Graecorum, ut nautae tempestate oppressi (—629). Jam vero leoni armenta opprimenti similis medios in hostes se inicit, unum Periphetem Mycenaeum, qui clipeo in fuga implicitus humi prociderat, percutit, ceteros omnes in fugam effusam dat (—652).

Troiani postquam initio cum feris rapacibus sunt comparati, solis de Hectore et Achivis universis sermo est. Hectoris quidem incessus accurate describitur: ora spumantia, lucentes oculi, torva supercilia, galea terribiliter micans, arma denique fulgentia (623); describitur etiam imaginibus: similis est furenti, Marti hastam quassanti, incendio exitioso. Tum singula Hectoris eventus momenta singulis comparationibus illustrantur. Immoti primo stant Achivi ut saxum undis oppressum. Incursat Hector ut ingens unda naviculo: ut in tali discrimine nautae, trepidant Achivi. Ceu leo armenta invadit eos; ut ille, trucidat unum, ceteros fugat.

Hac igitur in particula generatim magis quam singillatim res videmus enarratas. Carminis ratione in universum proposita non ad singulorum virorum certamina persequenda poeta descendit, non copiosius unumquemque pugnae progressum describit: satis habet universe eius decursum adumbrasse. Hoc autem efficit comparationibus et viri, qui primas agit, illustri descriptione. Neque vero singularum quoque rerum diligentem et accuratam enarrationem prorsus aspernatur, sed dici non poterit bene ac iusto modo in Periphetis morte esse adhibitam. — Diversam ab hac ratione elocutionis in aliis partibus Iliadis videmus observari, ut in ea, quae inde a versu 414 usque ad 514 legitur, vel, ut ex alio libro afferam exemplum, in primi initio vel *N* 361—672. Ibi singulis magis rebus artificiose et diligenter enarrandis poeta operam dat: describit pugnam certis certorum virorum certaminibus propositis, non ratione eius universa indicanda: virorum fortissimorum naturam et mores iis potius, quae fecisse dicuntur, vult demonstrari, quam illorum ipsorum habitus longa expositione. Praeterea illae partes brevitate quadam elocutionis, simplicitate, adstricta gravitate sunt conspicuae, ac raro aut nunquam adhibentur comparationes: haec vero particula similitudinibus abundat et pompam quandam orationis ac tumorem prae se fert. Hectoris atrocitas in immane augetur, aliud super aliud adfertur, quo illa maior quam humana et vere heroica videatur.

616 *τεύχε' ἄριστα.* *Ξ* 370 Neptunus iubet Graecorum fortissimos optimis armis captis densa acie instructos procedere, et qui in nostro libro (296) commemorantur viri for-

tissimi, et ipsi haud dubie optimis armis sunt intellegendi. Admonet igitur hic versus eius particulae, quae de Thoantis consilio erat.

Multas habet magnasque difficultates quae sequitur particula. Ac primum quidem de versibus 653 et 654 accuratius quaeramus. Verba *εἴσωποὶ δ' ἐγένοντο νεῶν* primo obtutu nemo non referat ad Graecos, quibus post voce *τοὶ* opponantur Troiani. Graeci enim initio acie instructa Troianos quominus ad naves ipsas penetrarent arcuerant (618. 622), post timore correpti (629. 652) in fugam effusam se coniecerant (637). Jam legimus fuga eos in conspectum navium, in summam earum propinquitatem venisse, ita ut primi ordinis semicirculo exciperentur. Quos fugatos summa vi persequuntur Troiani. 653—673.

Exspectamus, ut nova hinc oriatur pugna circa naves ipsas, ut Graeci eas contra hostium incendia defendant, qualis depugnatio describitur inde a versu 696. At nunc audimus, Graecos illum primum ordinem navium necessitate coactos deseruisse et post eum ad tentoria impetus hostiles defendere studuisse. Quae sane satis mire traduntur. Neque enim intellegitur aut enarratur, quanam re hoc facere sint coacti. Et cur Troes, si naves aliquamdiu propositae erant indefensae, non cepisse et combussisse eas dicuntur? Nec paullo infra (696 ff.) ad tentoria Graeci, sed de navibus ipsis, scilicet de primo earum ordine proelio acerrimo decertant. Praeterea, si hos versus, quae de longiore Graecorum recessu sunt, suo loco positos putaverimus, antecedentes duo, id quod multa praebet incommoda, de Troianis sint intellegendi. Tam graviter enim 655 *Ἀργεῖοι* proponuntur, ut ad eosdem vocabula *εἴσωποὶ ἐγένοντο* non videantur posse referri. In utraque sententia de primi ordinis navibus agitur (*νεῶν, ἄκραι νῆες ὅσαι πρῶται εἰρύατο — νεῶν τῶν πρωτέων*): altera Troiani, altera Graeci quomodo ad eas se habuerint indicatur. Illi quidem, cum ad id temporis procul navibus dimicaverint, deorum auxilio ac virtute Hectoris tandem aliquando eo sunt perducti, ut ante oculos habeant naves earumque arcu excipiantur, qui insequentium sociorum multitudine paullatim expletur. Hectoris igitur comitibus reliqua turba (*τοὶ δ' ἐπέχυντο*) popularium opponitur. Contra

Argivi ab his primis navibus recedere et post illas consistere coguntur. Sed non bene et versus 653 et 654 de Troianis intelleguntur, ita ut ad alteram alter partem eorum referatur. Nec magis, ut iam ante dictum est, versus 653 de Graecis intellegi poterit- Nam, qui post naves se recepisse dicuntur, pervenisse ad eas non dicantur.

Denique *ἐγένοντο* de Graecis, *τοὶ* de Troianis explicanda et excidendos versus, qui proxime sequantur, iudicaverim. Videntur autem esse inserti, quod collectis in unum corpus carminibus Homericis universa haec, de qua nunc disputamus, pars repugnabat antecedentibus, ubi iam ad naves ipsas utrosque dimicasse dictum erat (385. 414); quare hic Graeci etiam longius recessisse putabantur.

Jam Nestor per liberos uxores parentes bona obtestatur populares, ne animis deficiant ac fortiter resistant (659—667). Haec, cum a rerum statu non sint aliena, tamen movent suspicionem, quod spuriis et succedunt et praecedunt. Omnino haec, quam inde a versu 655 habemus, particula magna ex parte conformata videtur ad eorum exemplum, quae inde a v. 367 legimus. Ut illic ad naves, ita post naves hic Graeci constitisse ac collegisse se dicuntur. Utrobique tali in discrimine exsistit Nestor nec non ex eius precibus adhortationibusque levamenti aliquid Graecis dicitur divinitus obtigisse (378. 668). Sed quae sequuntur, cum multas habeant et graves offensas, a plerisque sunt deleta (668—673). Primum enim, quod hoc in tempore, cum solus Juppiter in Troianorum commodum proelium gubernet, Minerva traditur adiuvisse Graecos, universae huius particulae rationi ac consilio repugnat. Deinde nihil supra dictum erat de nebula Graecorum oculos occaecanti ita, ut remota demum illa Hector Troesque conspici possent. *Θέλγειν θυμὸν* autem, quod ante (594) legitur, animos spectat, non oculos. Item nec quid ad naves clarius dilucidiusque viderint (670), nec cur pars Troianorum abstinuisse pugna dicatur, cum ante summa vi in adversarios irruperint (592), intellegitur. Lachmannius quidem (Betr. p. 67) *ὅσοι* ad subiectum, Graecos, refert, quamquam ex versibus 655 et 675 apparet neminem iam illorum ad naves dimicasse. Idem, etsi *εἰσωποὶ ἐγένοντο* (653) de Graecis dictum esse putat, tamen genuinum existi-

mat versum 670, quo tunc demum lux dicitur a navibus Graecis affulsisse. Doederlinus vero neglectis vocabulis **νέφος ἀχλύος** vocem **φόως** de salute dictam censet ita, ut apud naves Nestoris oratio iis saluti fuerit; cetera relinquit inexplicata. Ego his versibus putaverim artificiose explicari illud **εἰσωποὶ ἐγένοντο νεῶν**: conspexisse enim Graeci naves dicebantur, quod Minerva iis nubem discussisset. Praeterea non statim Hectora legitur impetum fecisse (688): quod factum esse indicatur propterea, quod pars Troianorum, ut in libro tertio decimo (738), pugna sese abstineret; cf. item 689.

Jam vero Aiax non diutius in ceterorum Graecorum 674—695.
multitudine vult remanere, sed grandibus passibus primarum navium constrata obit contum ferratum longissimum adversus hostes moliens et clamore horribili Danaos ad resistendum exhortans. Nec non Hector relicta suorum turba Jovis ipsius manibus protrusus magno cum impetu unam navem invadit.

Haec cum iis esse coniungenda, quae inde a versu 655 de Graecis post naves reiectis habemus, luculenter apparet ex versu 675, qui respicit versûs 655 et 656. Troes igitur ante naves ipsas pervenerunt, Graeci ad tentoria ex fuga se colligunt. Erant ergo inter utrumque exercitum primi ordinis naves aliquamdiu indefensae, donec Aiax ad eas tutandas procedit. Potest quis mirari, quod non eodem, quo victor perrupisset, impetu naves quoque Hector ceperit et succenderit derelictas, sed inertes quamvis breve temporis spatium utraeque copiae et Troianorum, quos ad fructum victoriae percipiendum navium solitudo tamquam vocare debuerit, et Graecorum, quibus extrema fuerit necessitas defendenda, sint cogitandae. Sed etiam plura huic particulae inesse, quae mira sint, videbimus.

Procedit igitur Aiax extremis viribus naves defendere paratus. Et ipse in terrore communi profugerat, sed primus fortem animum recipit Nestoris scilicet adhortationibus. Jam solum eum audimus primum navium ordinem tutatum esse universum, ceteri Achivi remansisse dicuntur. Illud quidem quomodo fieri potuerit contra hostium multitudinem, iure miramur. Sed non ex una semper navi propugnat, sed ex alia in aliam transcendit, prohibet Troianos ab universis.

At licet eum fingamus ingenti corporis magnitudine ac longitudine crurum, quanam potuit ratione singulis gradibus in naves spatio diremptas tam celeriter transgredi, ut, si qua periculo erat circumventa, ei succurreret? qui eodem omnes tempore potuit defendere? Haec quidem licentia excedere videatur poeticam. Et cum alias (420 ff. 728 ff.) hasta rem agat, hic maxima contum longitudine cuspide ferrea instructum contra hostes molitur, quod genus telorum supra erat memoratum (388). Neque accuratius describitur universa huius pugnae ratio, quamquam maxime opus fuisse nemo neget.

Ne Hector quidem apud suos remansit. At paullo ante traditur viam suis ad hostium castra aperuisse, qua quidem in re omnium longe primus atque acerrimus cogitandus est. Cur post hunc successum remisit ardorem pugnandi, praesertim cum reiectis hostibus iam nulla re impediri videretur, quominus finem exoptatum consequeretur? Nunc vero Aiacis exemplum secutus et ipse proruit, unam potissimum navem petit, scilicet quam comburat. Sed non de hac sola navi in iis, quae proxime sequuntur (696 ff.), agitur, sed de communi omnium circa naves dimicatione. Quae navis cuius fuerit, ut etiam in superiore (414 ff.) inter Hectora et Aiacem certamine, non traditur, paullo infra (704) de Protesilai praecipue depugnatur.

Haec igitur particula cum iis, quae proxime antecedunt (655—673), in universum bene congruit, sed repugnat iis, quae ante illa habuimus, et per se ipsa praebet permulta, quibus magnopere offendamur. Captat huius poeta particulae quam maxime insolita ac miranda, omnia in immane augentur. Testes sint navium obitus, conti ingens longitudo, Aiacis clamores horribiles. Non satis habet Jovem finxisse vi divina Hectora instigantem, manu validissima dicitur eum propulisse. Et Aiacis discursationes et Hectoris impetus illustrantur similitudine. Ut volantibus per planitiem quattuor equis desultoriis bene inter se ligatis stans quis ex alio in aliud tergum transsultat, ita in navibus agit Aiax; ut in avium turbam aquila praecipitatur, Hector invadit naves. Sed prior comparatio, ut quae e ludo sit repetita, gravitati Aiacis dimicationis non videtur mihi respondere et, quod citato

cursu equi inter transsultandum feruntur (684 *οἳ δὲ πέτονται*), absimile est navibus. Recentiori autem hanc particulam aetati esse adscribendam, eius ipsius similitudinis argumento comprobatur.

Jam atrocissimam circa naves pugnam exarsisse legimus. 696—726.
Ac primo quidem de universa ad naves omnes dimicatione agitur (—703), deinde ad eam poeta transit exponendam, quae, postquam Hector Protesilai naviculum manibus apprehendisset, illic potissimum saeviverit acerrima. Collato comminus pede securibus bipennibus gladiis verutis rem gerunt. Hector vero tenet aplustria navis comprehensa atque ignem suis mandat adferendum.

In antecedentibus Achivi post primum navium ordinem recesserant, hunc solus universum defendebat Aiax. Hic de Aiace nulla fit mentio, non prohibuisse Hectora a Protesilai naviculo traditur. Neque magis hic Achivi post naves sunt intellegendi, sed ante et circa naves ingruentes hostes atrocissima dimicatione arcent. Qui igitur antea propugnatoris partes omnium egerit solus, eius hic nulla memoratur opera, quamquam Hectoris adversus nisûs maxime fuisse necessariam iudicandum est; contra qui antea defensionem omnem dimiserint, fortissime iam extremam sortem a se defendunt. Et Hectoris, cuius cum Aiace certamen singulare ut accuratius exponeretur exspectabamus, hic fit initio mentio nulla, post non contra Aiacem, sed Graecos proeliatur universos.

Sed potest quis dicere, cogitatione esse supplendum Graecos cum Nestoris oratione tum Aiacis exemplo incitatos rursus proruisse, Aiacem iam non opus fuisse naves omnes obire, sed sociorum turbae fuisse intermistum. At hoc ipsum mirum videatur hanc tantam rerum commutationem prorsus non significari. Si vero omissis iis, quae proxime antecedunt, cum versu 654 hanc particulam coniungamus, statim omnia rectissime et clarissime se habent.

Namque de Aiace, ut illic, his quoque in versibus non est sermo, Graeci universi rem agunt. Qui cum ab Hectore sint fugati, ad naves pugnam acerrimam redintegrant. Vocem enim *αὖτις* (696) non ad *παρὰ νηυσὶν* puto ita referendam esse, ut iterum ad naves dimicatum esse dicatur, propterea quod aliquanto ante naves prius pugnaverant, sed ad *δρι-*

μεῖα μάχη ἐτύχθη. Eâdem scilicet, quâ supra ante naves dimicavisse dicebantur violentiâ, iam circa ipsas decertatur, ita ut integros eos et indefatigatos existimes. Qua in contentione cum circa naves omnes, tum circa unam Protesilai manus conseruntur. Neque vero Graeci ex navibus propugnant, sed inter eas stantes impetus hostiles arcent (696. 707). Illud enim si cogitandum esset, accurate, sicut in aliis locis, esset indicatum, nec Hector navem tamdiu posset apprehensam retinere. — Contra apud Troianos Hector longe primas agit; uno impetu usque eo fertur, ut navem comprehendat. Ut initio huius partis (593) quod Juppiter de extrema dimicatione universa consilium haberet expositum erat, ita hic ante pugnae ad naves ipsas factae descriptionem pauca de huius pugnae ratione proferuntur (699—703). Hic quoque eó res omnes spectant, ut naves tandem aliquando incendantur.

In quo certamine de gladiis accuratius agitur (713—715). Quaeritur, quid sibi velint haec verba: ἄλλα μὲν ἐκ χειρῶν χαμάδις πέσον, ἄλλα δ' ἀπ' ὤμων ἀνδρῶν μαρναμένων. Priore parte huius sententiae videtur significari, gladios adversariorum plagis manibus pugnantium tanquam extortos cadere humi, e digitis, quo ἐκ χειρῶν videtur spectare, per vim resolvi. Similiter ἀπ' ὤμων La-Rochius vult ita intellegi: gladios, qui balteo circa umeros gererentur, percusso balteo decidisse. Sed cuiusnam est momenti gladium umero gestatum deturbari? Et gladii hic non in vaginis, sed in manibus sunt cogitandi, quippe qui ab acerrime pugnantibus gerantur (715 μαρναμένων, 712 μάχοντο ξίφεσιν μεγάλοισι). Quare accipienda videtur explicatio Faesi. Pugnantibus partim manus gladiis armatae demetuntur, ut ex ipsis lacertis — hos enim vox χεὶρ saepius significat — gladii decidere videantur, partim bracchia ab umeris resolvuntur, ut ex his quodammodo gladii dici possint humi cecidisse.

In Hectoris oratione ignavia senum Troianorum factum esse dicitur, ut non iam antea ad naves pugnaretur, quod illi cum exercitum tum ipsum retinuissent. Juvenes igitur Troianorum castra ipsa Graecorum erant aggressuri, sed prohibebant senes. Quae quidem Troianorum senum ignavia

huius solius particulae propria est nec potest dici, quem potissimum Hector intellegat, Pulydamantem an alios quos. Ille quidem in aliis carminibus traditur metuisse, ne perniciei Troibus navium impetus esset (*M* 71—74. *N* 742—747), eumque dissuasisse (*M* 210—229). Magis rebus consentaneum videtur esse, non a suis Hectora, sed ab hostibus dici retentum, non potuisse naves, quamvis vellet, ipsas aggredi prae Graecorum virtute ac fortitudine. Nec si improbabant seniores navium impetum, parere statim debebant iuniores. Quae tamen omnia ne quis subtilius inquirat, Jovem additur omnium animos et seniorum et iuniorum tunc temporis obcaecasse.

Jam ad Aiacem transit enarratio. Is in unius navis 727—746.
stega versatus hostium impetus aliquamdiu sustinuerat (727), nunc vero telis obrutus recedit paullum in subsellium, quod gubernatoris videtur fuisse, unde hasta, quisquis ignem navibus conatur inferre, percutit. Sic dum ipse ex navi propugnat, cohortatur Danaos ad fortiter resistendum. Nullum ipsis esse victis praesidium post terga et receptaculum, quo adiuvari aut servari possint: nisi ab ipsorum fortitudine salutem non esse sperandam. Inde Troianos incendia adferentes alium post alium transfigit, ut duodecim postremo exanimati pro navi iacerent.

Haec apparet non cum iis posse coniungi, quae supra (674 ff.) de Aiacis propugnatione habuimus. Illic enim naves omnes obit celeriterque ex alia in aliam transsultando defendit, hic tutatur unam neque illo ex consilio ad hoc transiisse dicitur. Illic ingenti conto navali (677) Troes irruentes arcet, hic hasta (730. 742. 745) navem defendit.

Nec melius haec congruunt cum iis, quae proxime antecedunt (696—726). In quibus nihil omnino de Aiace audivimus, universi semper Graeci rem gerunt. Nihil item legimus, mansisse aliquamdiu Aiacem in navi aliqua et pugnam sustinuisse vel certamen cum Hectore aliquantum temporis spatium stetisse aequum, ut nunc Aiax possit dici iam non obdurasse et recessisse (*οὐκέτ' ἔμιμνε* 727). Neque enim Aiax statim pedem retulisse debebat dici, sed aliquamdiu aequo Marte cum hostibus dimicasse. Accedit, quod eminus hic telis opprimitur (727), cum supra dictum sit iam non

hastis eminus coniectis rem esse gestam, sed cominus collato pede (709 ff. οὐδ' ἄρα τοί γε τόξων ἀικὰς ἀμφὶς μένον οὐδέ τ' ἀκόντων, ἀλλ' etc.). Praeterea illic non ex navibus pugnatum esse vidimus, sed ante et circa naves.

Melius haec ego existimaverim ad ea referri, quae inde a versu 414 usque ad 514 erant exposita. Namque illic, ut hic, Aiax ex navi quadam, quae cuius fuerit non dicitur, hasta, non conto navali, Troianorum ignes arcet, illic Teucro adiuvante aliquamdiu ex stega navem defenderat, hic manere iam eodem loco nequit ac paullum se recipit. Quibus autem rebus coactus hoc fecerit, non est enarratum; nam, qui inter illam et hanc particulam versus sunt, iis in eundem fere statum res iterum perducuntur, in quem iam ante erant perductae, ut ad naves ipsas acerrime confligatur. Genus quoque elocutionis et ratio dicendi optime cum illa particula consentit.

Π 102—124. Restat, ut de ea quaeramus particula, qua ignis quomodo navibus illatus sit exponitur. Aiax telis adeo opprimitur, ut retinere locum iam non possit. Quae telorum multitudo illustratur vocabulorum βέλος, βάλλειν frequentatione: 102 βελέεσσι, 104 βάλλοντες, 105 βαλλομένη, βάλλετο, 108 βελέεσσιν, 122 βελέων. Jam conversionem quandam rerum fieri indicant Musae invocatae (112). Hector Aiaci hastae, dum vibratur, decutit cuspidem, Aiax recedit, ignis in navem conicitur.

Huius particulae multa nos hortari videntur, ut coniungamus eam cum iis, quae *O* 414—514 et 727—746 de Aiacis propugnatione exposita sunt. Namque iisdem verbis incipit, quibus illorum pars posterior (Αἴας δ' οὐκέτ' ἔμιμνε· βιάζετο γὰρ βελέεσσι *O* 727 = *Π* 102), utrobique Aiax in summo discrimine agitat hastam (114), non contum. Verborum quoque inter utramque partem intercedit similitudo: ῥίγησέν τε item (466) dictum erat de Teucro (Τεῦκρος δ' ἐρρίγησε); μάχης ἐπὶ μήδεα κεῖρε (120) item *O* 467.

Sed tamen ea est inter utramque partem discrepantia, quod Aiax hic non in navi, sed in terrae solo est cogitandus. Ita iam Godofredus Hermannus (opusc. V, p. 68) hunc locum voluit intellegi. Oportebat, si in navi, in scamno illo erat, quod supra (*O* 729) memoratum est, indicari,

quam in partem navis se recepisset, aut navem eum deseruisse. Sed eorum, quae dicta sunt, nullo omnino verbo in navi eum fuisse probatur. Immo cogitandum est, ante vel iuxta navem incursus Troianorum aliquamdiu sustinuisse; cum vero telis obrutus se recepisset, nihil iam obstabat, quin navis succenderetur. Et Hector cum hastae, dum vibratur, cuspidem ex terra possit gladio deturbare, non in navis parte posteriore Aiax potest cogitari propterea, quod tam alte sublatam cuspidem ille ex terrae solo non poterat contingere. Atque id ipsum, quod iisdem verbis haec particula, quibus superior, incipit, non illa hic ab eodem poeta continuari est documento; is enim novas res novis verbis esset persecutus. Sed quod utrobique dicendum erat Aiacem vires iam defecisse, alter ab altero haec verba poterat mutuari.

II.

Quoniam, quae in Iliade de extremo Graecorum discrimine sunt, deinceps pertractavimus omnia, nunc videamus, quaenam efficiantur ex hac disputatione ad universi illius capitis rationem et condicionem statuendam ac diiudicandam.

Ac primum quidem inquiramus, quonam modo expositum sit, ut Graeci a Troianis ad naves ipsas sint repulsi, deinde, qualis circa eas dimicatio fuisse tradatur.

Quorum illud quidem dupliciter habemus enarratum et iis, quae versum 385, et iis, quae 654 antecedunt.

Ut autem ad priorem Graecorum fugae descriptionem transeamus, quae inde a versu 220 usque ad 384 pertinet, hinc vidimus eximendos esse versus eos, in quibus de curribus agitur Troianorum et de via illis per fossam murumque ab Apolline patefacta. Neque enim bene hos cum ceteris congruere invenimus. In quorum versuum numero sunt 258—261, quibus Apollo pollicetur viam se equitibus ab Hectore adducendis per munitiones aperturum et in fugam Graecos daturum. Paullo infra versum 270 vidimus insertum, quo excitasse Hector equites tradatur. Post exponitur, Apollo quomodo curribus advolantibus et fossam late compleverit et murum facile deiecerit: fugiunt Graeci ad naves versus (366), sed nondum ad eas ipsas pervenisse Troes audivimus. Huc quot versuum antecedentium referendi sint, parum liquet, sed certo inde a 352—366. Jam Graecos repulsos Nestoris precibus Juppiter confirmat. Troianorum autem et pedites murum transscendunt et equites pugnam circa naves ipsas committunt (367—385).

Haec de curribus inserta esse postea, apparet ex eo, quod satis facile ex reliquis tolli posse cognovimus. Immistis his ratio est habita earum rerum, quae libro duo-

decimo narratae sunt. Ibi enim, cum primum de muro pugnaretur, relinquere post fossam equos currusque Troes sunt coacti, cuius rei auctor erat Pulydamas (60 ff.): nunc vero diis auxiliantibus una cum iis in castra penetrare potuisse dicuntur. Ac res omnino ipsae, quae de curribus hic narrantur, artificisiores et mirabiliores sunt, quam quae antiquioris poeseos esse videantur. Hoc ad eam potissimum patet pugnam, quae ad naves e curribus facta dicitur.

Eodem modo non bene cum ceteris consentire invenimus ea, quae de restituto Hectore, de Neptuno, de Thoante agunt, denique quibus perpetuitas quaedam cum iis, quae proximis libris exposita sunt, velit effici. Primum enim, quae (222—228) repetuntur de Neptuno, ea satis superflua nobis visa sunt, cum de restituendo Hectore et de condicione eius nihil Juppiter cum Apolline communicet. Deinde restitutio ipsa Hectoris (237—252) et per se minus clara est nec cum antecedentibus et sequentibus bene consentit. Item non liquebat, Thoantis quid sibi consilium vellet (281—305); et hic quoque de restituto Hectore mentio fit (287). Haec tria necessitudinem quandam inter se habent, quod ad ea, quae ante narrata erant, respiciunt. Sed videntur postea esse inserta, ut, qui desiderabatur, efficeretur rerum conexus. Hector, qui in superiore libro erat vulneratus, debebat refici et, quod ad fugandos Troes multum contulerat consilium, ut principes Graecorum in aciem se colligerent, id etiam ad sustinendos illorum impetus magni videbatur fuisse momenti. Nec non quae inter Thoantem et Neptunum intercederet necessitudo vidimus.

His igitur sublatis omnibus restant fere haec, quae tamen, ut contaminata illis, non perfectam praebent rerum perpetuitatem, sed varie immutari necesse erat et vitiari et mutilari. Juppiter Apollini mandat, ut Hectora confirmet tuteturque, fuget aegide Graecos, donec ad naves fuga perveniant (229—235). Animo erectus et confirmatus Hector alacer ad pugnam revertitur magnoque Graecos ad id temporis victores afficit terrore (253—57. 262—69. 271—80). Nilominus paullisper pugnam sustinent, sed aegide concussa torve eos intuens in fugam Apollo effusam dat (300—327). Fugientium plures cadunt; ceteros cogitandum est ad naves

se proelium redintegraturos collegisse. Sed sequentium quot et qui versus huc potissimum pertineant, diiudicari pro certo nequit.

Altera vero quae de Graecis ad naves usque ipsas reiectis exstat enarratio his fere continetur particulis. Status rerum qualis cogitandus sit, indicatur pluribus versibus, quos habemus inde a 405 (405—413). Graeci aliquanto ante naves spatio acie confertissima instructi illas tegunt obseptas, hostes irruentes prospere defendunt. Sequuntur, quae paullo infra legimus post Hectoris et Aiacis propugnationem (515—567). Non male rem gerunt Graeci: consobrinum Hectoris interficiunt Meges et Menelaus, et cum iratus hanc ob cladem Hector cum Melanippo accurrit, Aiace cohortante densissima acie naves rursus tutantur. Hinc quae sequuntur de Antilocho vidimus esse tollenda. Jam vero Troes universi Hectore duce denuo adversus aciem Graecorum prorumpunt. Juppiter iamiam decreturus pugnam est, ut naves incendantur. Quamvis fortiter resistentes in fugam Hector hostes universos dat, interficit Periphetem. Sic in suarum navium summam propinquitatem Graeci veniunt, earum semicirculo excipiuntur instantibus Troianis, sed has ipsas extremis viribus defendere parati (592—654). Qui proxime sequuntur versus, quam male et quam ob causam huc sint inserti, supra demonstratum est. Quo summo in discrimine exsistit Nestor Graecos omnibus precibus ad resistendum cohortaturus (659—667). Quae sequuntur quid sibi vellent parum liquebat. Potest quaestio ea moveri, num, quae de acie Graecorum hac in parte dicta sunt, coniungenda sint cum Thoantis consilio, cuius supra mentio facta erat. Versus quidem 616 *ῇ δὴ πλεῖστον ὅμιλον ὅρα καὶ τεύχε' ἄριστα* Neptuni et Thoantis consiliorum vehementer admonet. Utrobique densam habemus aciem et quidem fortasse post murum: cum Aiacis tum Megetis, qui illic memorantur (301. 302), hic facinora traduntur. Contra de Thoante, Teucro, Idomeneo, Merione, quorum illic mentio erat facta, nihil hic audimus, sed de Menelao. Praeterea Aiax non fortissimum quemque suorum adhortatur (560), sed Achivos universos, atque id ipsum, quod (616) de turba densissima dicitur, non plane congruere cum superioribus videtur. Quare Thoantis consilium hic non respici putandum est.

Sed magna intercedit inter priorem partem — exceptis scilicet iis, quae de Hectore restituto, de Thoante, de curribus post subdita cognovimus, — et posteriorem similitudo. Illic Jovis iussu Apollo Hectoris animum confirmat atque in posterum tutatur (254 ff.), hic Juppiter ipse cum Troes tum Hectora contra naves excitat (594—604. 637). Illic Hector qualis in proelium redierit simili ab equo repetito accuratius describitur (263—270), item hic Hectoris habitus et incessus, quo pugnam redintegrarit, depingitur (607—609) nec non comparationibus a Marte et igni exitioso (605—606), post ab undis in rupem ingruentibus (620) sumptis illustratur. Graeci et hic et illic ante novum Troianorum impetum paullo erant superiores (277. 553 ff.). Densa acie aliquanto ante naves spatio instructi sunt (312. 408, 566, 615 ff.); ita aliquamdiu hostium impetus fortissime sustinent (312—319. 406, 617—622) magna vi in ipsos ingruentium (306, 312. 592, 615 ff.). Sed tamen Hectoris incursu magno terrore capiuntur, ut canes virique feram persequentes leone subito occurrente (271—280), ut nautae undis maritimis naviculum opprimentibus (624—629). Tandem in fugam effusam Graeci dantur (326. 636: ὣς ἐφόβηθεν Ἀχαιοὶ ἀνάλκιδες — Ἀχαιοὶ θεσπεσίως ἐφόβηθεν). Ad quam rem illustrandam utrobique adhibentur similitudines a grege magno boum vel ovium repetitae, quae absente vel imprudente pastore subito a feris oppressae fugantur (323—325. 630—636). Fugatis autem Graecis plures illic a Troianorum principibus (328 ff.), hic unus et extremus ab Hectore interimitur (638 ff.). Graeci ad naves usque repelluntur insequentibus Troianis (653 f.), sed hanc illic partem iis vidimus contaminatam esse, quae de curribus equisque sunt (345, 367. 385). Postremo Nestor Jovem illic ne prorsus Graecos exitio dari sinat (370—376), hic per suos quemque dilectissimos domi relictos ut obdurent obtestatur (658—666). Et hic et illic sublevatio Graecis divinitus fieri dicitur (377. 668).

Dissimilitudo vero, quae inter utramque partem intercedit, potissimum est ea, quod illic per Apollinem, hic Juppiter ipse victoriam Troianis parat. Praeterea illic Juppiter hoc dicitur spectasse (233), ut ad naves Graeci et Hellespontum reicerentur, hic (597), ut navibus incendium inice-

retur. In utraque vero parte nec fossae aut muri nec curruum Troianorum mentio fit, non per munitiones Graeci repelluntur, pedibus Troiani et Hector utrobique ingruunt.

Hanc si respexerimus summam similitudinem, quod non res solum, quae proponuntur, sed ratio quoque, qua proponuntur, magna ex parte consentiunt, negari vix poterit, alteram ad alterius partis exemplum esse conformatam. Atque equidem posteriorem partem, ut simpliciorem clariorem perfectiorem, prioris fuisse tamquam exemplar normamque iudicaverim. Sed haec ipsa pars prior multifariam contaminata et vitiata est.

Verum aliquanto maior utriusque descriptionis discrepantia fit, si priorem in comparando respicimus universam. Tum enim per fossam illic murumque Graeci repelluntur (355 ff.), hic nulla munitionum mentio fit; tum ex imbecillitate, qua ante affectus erat, restitutus Hector illic proelium redintegrat (246 ff.), hic nihil de infirmitate eius audimus; tum curribus equisque Troianorum proceres via per Apollinem munita in castra hostilia invehuntur (385), hic pedibus Troes ingruunt. Atque in hac, quam modo diximus, dissimilitudine hoc maxime notandum videtur, quod ea fere omnia, quibus prior a posteriore parte differt, sunt eiusmodi, quae ad res in libris antecedentibus expositas respiciant, denique quibus perpetuitas quaedam narrationis efficiatur. Nam conexui rerum inservire et refectionem Hectoris et consilium Thoantis et fossam murumque, quibus supra Troiani fugati erant (*O* 1), et equites currusque cum per se apparet tum supra demonstravimus. Iisdem his rebus omnibus, quod ad prius Graecorum discrimen spectant, iterum hanc cladem Graecos accepisse, iterum Troianos ad naves pervenisse (cf. 248) indicatur: sublatis his, ut in parte posteriore, sic in hac quoque priore nihil iam inest, quo bis ad naves repulsos Graecos esse intellegatur. Quare etiam supra, cum posteriorem cum priore parte — sublatis scilicet, quae subdita cognoveramus — contulimus, nihil invenimus, quo illud probaretur.

Sed ea ipsa, quibus iterum Troianos victores factos indicatur, cum intellexerimus cum ceteris non congruere magnasque movere suspiciones, sequitur, ut ab initio quidem his particulis semel Graecos ad naves fugatos esse sit ex-

positum ac postea demum bis hoc esse factum insertis illis indicatum sit.

Nam pars quidem posterior universa est eiusmodi, ut hic primum Graecos ad naves usque reiectos esse iudicemus. Nam iterum hoc factum esse nullo omnino verbo significatur. Immo in iis, quibus continuari illam partem cognovimus (696 ff.), Hectora legimus eo tempore primum ad naves dimicavisse ac, quominus iam prius naves ipsas aggrederetur, a senibus Troianorum esse prohibitum (722). Quod dici profecto non posset, si iam ante Troianos intellegendum esset in navium summam propinquitatem pervenisse, ut in libris tertio et quarto decimo expositum est et indicatum versu 248: *οὐκ ἀΐεις ὅ με νηυσὶν ἔπι πρυμνῇσιν Ἀχαιῶν βάλεν Αἴας.* Item semel tantum a Troibus murum superatum esse docetur iis, quae de Eurypylo et Patroclo dicta sunt (390 ff.), ut iam supra demonstravimus. Patroclus enim, cum primum Achivi a Troianis premi coepti sunt (*Λ* extr.), Eurypylum procurat vulneratum; postquam vero expugnatus murus est, ab eo discedit Achillem incitaturus. Quodsi iam ante murus superatus esset, non intellegitur, cur non illo statim tempore Eurypylum deserturus fuerit. Quare ad hanc partem posteriorem haud scio an referenda sint, quae de Eurypylo et Patroclo dicuntur, eo magis, quod artissime (405) cohaerent cum iis, quae illuc pertinere iam supra docuimus (405 ff.). Hoc si bene vidimus, res se hunc fere in modum excipiant. Troes dum Graecis intra munitiones compulsis aliquantum temporis murum oppugnant (390 *εἵως Ἀχαιοί τε Τρῶές τε τείχεος ἀμφεμάχοντο*) — quae pugna duodecimo libro descripta est —, in Eurypylo procurando Patroclus commoratur, sicuti indicatum est extremo libro undecimo; postquam vero expugnarunt murum atque inter munitiones et naves ipsas redintegrata pugna est, ad Achillem contendit, quem de Graecorum discrimine certiorem faciat. Bene quoque, quae extremo libro duodecimo et hic proferuntur, se excipiunt nec non clamores Graecorum ac fuga (396) et comparatio paullo infra adhibita (410) cum iis, quae illic habemus, consentiunt. Quae quidem inter murum et naves dimicatio accuratius post describitur, donec

denuo fugati Graeci extremam calamitatem a navibus defendere sunt coacti (696 ff.).

Apparet, hanc narrationem, qua semel Graeci dicuntur ad naves fugisse, ut simpliciorem, ita esse antiquiorem, retardationem illam rerum, quae per Neptunum et Junonem facta est (*N, Ξ*), aetatis esse recentioris; cuius retardationis sunt, quibus priorem partem contaminatam cognovimus.

Ac priore quidem parte universa expositum esse vidimus, quomodo e planitie Graeci post munitiones reicerentur; posteriore vero, qua ratione, postquam inter murum et naves pugnam aliquamdiu sustinuissent, ad has ipsas repellerentur. Utrumque, etiamsi nostra in Iliade, qualem nunc habemus compositam, bis esse factum cogitandum est, tamen semel tantum quinto decimo libro enarratur. Namque in undecimo pugnam legimus in planitie huc illuc esse versatam ita, ut Graeci magis magisque laborarent; in duodecimo post murum iam invenimus Achivos, quem Troes oppugnant: at illi qua ratione huc usque sint repulsi, hoc quidem nusquam expositum est. Quare etiam censet Lachmannius illa, quae undecimo libro de discrimine Graecorum dicta sunt, priore parte nostra, quamvis multifariam vitiata sit, continuari. Item in duodecimo libro Hectora legimus cum Troianis munitiones expugnasse (*M* 438 ff.); in sequenti res usque eo iam sunt deductae, ut ad naves Troiani pugnarent (cf. *O* 248): verum hi quomodo a muro Jovis auxilio ad naves usque pervenerint, non demonstratur. Tamen, haec duo cur post undecimum et duodecimum libros desiderentur ac cur semel tantum et nostro potissimum in libro posita sint, haud difficilius esse ad intellegendum existimo. Nam cum antiqua rerum enarratio, qua semel tantum Graeci clade maxima affecti erant, amplificata et retardata esset ita, ut Neptuni et Junonis auxilia ad tempus Graecis lata insererentur, noluit, qui Iliadis carmina colligebat, cum per se satis multa hoc corpore viderentur esse servanda, bis eadem poni vel simillima, quibus Graeci quomodo post murum et quomodo ad naves reiecti essent exponeretur, sed satis habuit semel posuisse illic, ubi minus poterant careri. Nam in prioribus quidem libris, ubi permulta et varia de Grae-

corum discrimine proferantur, suppleri facilius, qua ratione in illam condicionem pervenerint, potest; in nostro vero libro, ubi celerius ac strictius res decurrant, hic ipse rerum decursus, qualis fuerit, non debebat mutilari. Neque tamen, qui haec in nostrum librum transposuit, prorsus nova sibi componenda existumabat quaeque vero rerum conexui, quo iterum Graeci ad naves sunt fugati, plane responderent, sed, ut recentiorem aetatem defecerat novas propriasque res in epica poesi procreandi facultas, in usum suum traxit ea, quae ex antiquiore rerum descriptione, qua semel Graeci clade afflicti erant, erant praesto paullumque immutavit ita, ut non nimis rebus ante narratis repugnare viderentur. Sic tum illa ipsa, quibus perpetuitas quaedam rerum vult effici, non bene congruere cum ceteris cognovimus, tum, quae bene se habere vidimus, iis nullo modo indicatur, iterum haec ad naves fieri. Cum igitur, quae antiquioris narrationis erant, huc essent translata, eadem non poterant illic quoque poni.

Jam videamus, quomodo utriusque exercitus extrema de navibus ipsis dimicatio sit descripta.

Atque unam quidem huius dimicationis descriptionem inde a v. 696 usque ad 726 habemus. Ibi pugna de navibus initio depingitur universa ac quae eius ratio et consilium fuerit (—703): Troiani naves comburere, interficere Graecos nituntur, Achivorum animis mors obversatur ac pernicies. Post quanta vehementia circa Protesilai potissimum navem dimicatum sit exponitur: cominus utrimque saevissime decertatur. Hector vero, postquam huius naviculi corymbum comprehendit, retinet et ignem a sociis efflagitat.

Res igitur hic usque eo perducuntur, ut incendium Troes parent admovere. Praeterea de hac enarratione haec videntur esse tenenda, non ex navibus hic propugnari, sed circa naves in terrae solo, non singulorum Graecorum, ut Aiacis, exponi facinora, sed depugnationem universorum, navem, quam Hector petit, nominatim dici fuisse Protesilai.

Quam descriptionem cum iis coniungendam esse, quae ante versum 654 legerentur, iam supra probavimus. Et res et elocutio optime cum illis consentiunt. Namque expositurus supra (600) poeta erat, ignis quomodo Graecorum navibus admotus esset. Primo igitur Hector eos quamvis

fortiter resistentes incursu vehementissimo ad naves ipsas repellit (—654), post circa has proelio redintegrato foedissimo ignem Protesilai naviculo manu validissima apprehenso inicere nititur. Quod quidem quomodo factum sit, nondum est propositum. Habemus igitur in universa hac enarratione victorem Hectora, victores Troianos. Graeci breve tantum et ante naves et apud naves impetus hostiles possunt sustinere, nullorum hic facinorum locus est Graecorum principibus edendorum, confertissima semper acie instructi extremam sortem universi student defendere. Contra ex hostibus longe primus eminet Hector: divino numine instinctus invicta vi omnes proturbat, donec a nullo iam prohibitus incendium ipsum est admoturus. Quare etiam eius habitus nisus eventus diligentissime et comparationibus splendidissimis illustrantur. In universum decurrit enarratio, ut rebus consentaneum videtur, cum ardore quodam elocutionis summaque vivacitate. Abundat in priore potissimum particula similibus et pompam quandam dicendi ac tumorem habet. Hectoris atrocitas et pugnae apud naves saevitia describitur quam maxime horribilis, aliud super aliud profertur, quo admiratio et stupor legentium excitetur. Cf. *δριμεῖα μάχη* 696, *ἀκμῆτας καὶ ἀτειρέας* 697, *δῄουν ἀλλήλους αὐτοσχεδόν· οὐδὲ μένον* etc. 708, *ὀξέσι δὴ πελέκεσσι* etc. 711—715.

Plane diversa ab hac est, quam alteram habemus de navibus dimicationem, inde a v. 385 usque ad 389. Hic Graeci dicuntur ex puppibus grandibus contis navalibus, Troes e curribus rem cominus hastis gerere, ita ut utrique ex locis superioribus dimicent. Quae ratio pugnandi, quae prorsus mira sit et inaudita, accuratius non describitur; scilicet satis habebat poeta, ad hunc tandem finem inventum suum perduxisse. Pertinet autem haec descriptio ad ea, quae ante de curribus equisque Troianorum per Apollinem in castra introductis sunt exposita.

Tertia, qua idem illud tractatur argumentum, particula centum continetur versibus inde a 414. Ibi communi de omnibus navibus dimicatione breviter indicata, qualis de una potissimum inter Aiacem et Hectora pugna fuerit, describitur. Protesilai hanc fuisse, ut illam, quae in prima particula commemoratur, nulla re significatur: omnino quae

fuerit, non est dictum. Sed quod Teucri tabernaculum, ubi sagittas arcumque deposuit (478), proxime navem illam est cogitandum, quodque Teucer et Aiax, ut fratres, vel eodem vel finitumis tabernaculis videntur esse usi, navis haud scio an ipsa quoque Aiacis sit existimanda. Atque ex navi Aiacem propugnasse, duobus versibus, 417 (*οὔϑ' ὃ τὸν ἐξελάσαι*) et 435 (*ἑσταότ' ἄγχ' Αἴαντος — νηὸς ἄπο πρυμνῆς*) probari videtur, quamquam, ut iam supra demonstravimus, de Teucro ita fiunt verba (478. 483), tamquam in terrae solo sit depugnatum. Navis certe saepius praeter exspectationem non commemoratur. Rerum autem status in eo positus est ut ignem hic nitatur inferre, ille defendere.

Jam quaeramus, quae intercedat inter primam et hanc descriptionem necessitudo. Illic res usque eo perducuntur, ut navem Hector paret incendere, hic, quomodo discrimen illud ab Aiace potissimum sit defensum, enarratur. Bene igitur res videntur hic continuari. Sed ut omittam illud, quod, si coniungenda haec duo sint, non satis intellegitur, quo tandem factum sit, ut partium nunc disiectarum priorem antecedat posterior: sunt etiam alia, quibus diversas esse inter se comprobetur. Illic, postquam vehementi incursu Hector ad Protesilai naviculum, cuius iam corymbum tenet comprehensum, delatus est, iam minimum videtur abesse, quin navis succendatur: hic stat pugna diutius aequa nec navis ab Hectore retinetur. Illic cum ardore quodam ac violentia res decurrunt, ut invicta vi aliud super aliud obstaculum Hector proturbet, et acris est ac vivacissima rerum descriptio: hic placide et quiete res et peraguntur et describuntur interruptusque Hectoris victoriarum cursus videtur. Neque aut Aiacis illic mentio fit aut ex navibus esse propugnatum: contra hic Protesilai navem peti nusquam indicatur. Quare hanc cum prima descriptione nihil cohaerere statuendum est.

Verum melius consentit cum altera. Utrobique e navibus proeliantur Graeci et, postquam generatim haec pugna indicata est, ad Aiacis potissimum unius naviculi defensionem transit enarratio. Troes, qui curribus illic proeliati erant, hic pedibus quidem petunt puppes, sed prope adfuisse cur-

rus apparet versu 447. Quare alteram descriptionem hac tertia continuari haud scio an possit defendi.

Quartam, quae huc referenda particula est, inde a versu 674 habemus usque ad 695. Graecos dictum erat primo navium ordine deserto ad tentoria se fuga recepisse, ubi a Nestore ad virtutem incitantur. Sed iam non ignis, ut consentaneum est suspicari, navibus, quae indefensae aliquamdiu sint cogitandae, inicitur, sed proruit Aiax et contum ingenti magnitudine gestans, cum navium constrata obit, incursus hostium arcet. Contra Hector unam navem aggreditur.

Haec ab omnibus aliis pugnae ad naves descriptionibus prorsus est diversa neque cum ulla earum arctius cohaeret. Res quoque ipsas hic enarratas per se esse maxime miras iam supra demonstratum est. De universo autem hoc capite, quod a versu 655 ad 695 pertinere quodque male ceteris interpositum esse cognovimus, haec fere videntur esse iudicanda. Cum post priorem pugnae ad naves expositionem (—514) novae legentibus fugae Graecorum occurreret descriptio (636 ff.), haec clades altera ab iis, qui perpetuitatem quandam rerum volebant habere, ita putabatur intellegenda esse, ut a primo navium ordine, quem ante defendissent, longius Graeci cogerentur recedere, derelictusque aliquamdiu a propugnatoribus primus ordo esset. Sed quoniam paullo infra legebatur etiam postea circa naves esse dimicatum, Aiax dicebatur Nestoris scilicet cohortationibus concitatus solus initio pugnam redintegrasse atque ita insolitum illud ac stupendum fictum est, navium constrata obeuntem solum primo impetus hostiles repulisse, donec ceteri quoque Graeci animis confirmati ad resistendum rursus procederent. Intercedit autem similitudo quaedam huius cum tertia particula, ad cuius exemplum nostram conformatam putaverim ita, ut in mirabilius res immutarentur. Accedit, quod utrobique nondum inclinata fortuna contra Graecos est.

Quinta particula extremis versibus viginti continetur (727—746). Jam magis magisque Graecorum augetur calamitas, sed etiamtum extrema sors aegre ab Aiace defenditur. Is, postquam ad id temporis pugnam sustinuit, telis oppressus iam recedere paullum cogitur. Propugnat autem

ex navi atque etiamtum, qui ignem adferre conantur, eos hasta prohibet.

Non pertinere haec ad ea, quae proxime antecedant, ad primam particulam, supra docuimus. Neque magis cohaerent cum quarta, quam modo tractavimus, quod nec de una navi nec de hasta Aiacis nec de pugna aliquamdiu sustenta illic mentio facta erat. Verum coniungenda sunt haud dubie cum iis, quae tertia sunt exposita particula. Optime res congruunt. Desideratur autem enarratio, ut acrius Troes contra Aiacem institerint.

Sexta denique particula (*Π* 102—124) usque eo res deducitur, ut navis incendatur. Hic quoque Graecorum primas agit Aiax: quare ad tertiam vel quartam vel quintam particulam nonnemo hanc retulerit. Sed est inter hanc et illas ea discrepantia, quod illic Aiax in naviculo, hic, id quod supra accuratius probavimus, in terrae solo est cogitandus. Itaque ego quidem cum prima potius hanc particulam coniunxerim. Utrobique enim circa naves, non ex navibus pugnatur, atque post versum 727, quem item habemus *Π* 102, transponenda sunt ea, quae inde a v. 103 legimus. Ea autem, quae nunc in extremo libro quinto decimo habemus, ad prioris Aiacis dimicationis exemplum conformata post interposita sunt propterea, quod navis incendium melius videbatur tum demum commemorari, quum Patrocli auxilium iamiam erat praesto. Hanc si sequamur sententiam, Aiacem supplendum est, cum Hector ignem magna voce efflagitasset (718), processisse e turba suorum atque extremis viribus incendium prohibuisse, donec vires eum prorsus deficerent.

Ut autem, quae de his particulis omnibus visa sunt, breviter comprehendamus: nexae inter se prima (696—726) et sexta (*Π* 102—124) sunt, sed ita, ut quae inter utramque gesta esse cogitandum est, exciderint. Namque altera pugnae apud naves factae initium describitur, altera, ut ignis navi iniectus sit: quam quomodo Aiax bono aliquamdiu eventu defenderit, desideratur. In utraque autem circa naves, non ex navibus dimicatur. Ceterum haec ipsa vidimus cum iis coniungenda esse, quae inde a v. 592 ad 654 sint exposita: namque consequitur Juppiter (*Π* 123), quod ante voluerat

(O 600), videt flamma navem comprehensam, in extremum discrimen Graecos ab Hectore adactos. Acriter universa haec descriptio ac vivaciter decurrit.

Ceterae quoque particulae omnes inter se quodammodo cohaerent. Secunda enim (385—89), qualis, cum currus Troianorum Apollinis auxilio fossam superassent, ad naves pugna exarserit, universe indicatur; tertia (414–514), qua ratione unius navis defensionem Aiax contra Hectora sustinuerit, enarratur; quinta (727—746), ut Aiax, etiamsi telis oppressus paullum in navi recedere esset coactus, ignem tamen etiamtum prohibuerit, demonstratur. In his omnibus e navibus propugnatur, cursus Troianorum etiam in tertia commemorantur. Quas tamen particulas, quod cum iis cohaerent, quae de curribus et equitibus agunt, spectantque ad ea, quibus iterum dicuntur Graeci ad naves fuga pervenisse, recentioris aetatis iudicaverim. Quarta vero (674—695), quae ad tertiae normam particulae composita multas praebeat magnasque offensas, cur tam inepte illuc inserta sit, accuratius iam demonstravimus.